



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

XXIX. De Aurelio abbatis sancti Cigirani, & Augustino Jansenii, famosis hac aetate libris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Laus tua quam veteris major, Bocharte, Noachi,
Naufragio pisces eripuisse suo.

XXIX.

*De Aurelio abbatis sancti Cigirani, & Augustino Jan-
senii, famosis hac atate libris.*

FA M O S O pretium facturus Vasco libello,
Aureli nomen sumsit inane sibi.
Calvini Batavus restaurans dogmata, nomen,
Augustinus, opus jussit habere suum.
Sicque ambo insignem sibi divisere magistrum,
Præsule quo stellis se tulit Hippo parem.
At qualem, ô miseri, Divo monstratis amorem?
Dispeream, si vos hic redamare potest.
Integrum per quos sibi non licet esse, fatetur
Carnifices, renuit dicere discipulos.

XXX.

De Romulo Amulii interfectore.

R O M U L U S incesti damnatus fraude parentis,
Ipfius immerita morte piare nefas:
Clementes expertus aquas, rictusque luporum,
Mitius ingenium senserat esse feris.
Sæva Deum invidit juveni fortuna favorem,
Et sceleris puras noluit esse manus.
Ultori genitricis, avi, fratrisque, sui que,
Ignotum objecit perfida in hoste patrem.
O laurum ambiguum! casu cernuntur in uno
Virtus facta nefas, & patricida pius.

*Dionysius Hali-
carn. scribit Amu-
lium vitasse Iliam
Romuli matrem,*